

Le livre des serfs de Marmoutier, Nr. 115

Sciant omnes quod Rotbertus de Rupibus et mater sua nomine Sibilla venerunt in capitulum nostrum Majoris scilicet Monasterii, rogaveruntque nos multum humiliter et obnixe, ut exoraremus Dei benignissimam pietatem, pro animabus Tetbaudi patris ejusdem Rotberti, et precipue Lisoii clerici fratris ipsius, qui juvenis contra spem eorum nuper obierat; quorum supplicationi grataanter annuimus. Dederunt itaque inibi Deo et Beato Martino atque nobis, quandam suam ancillam, cum omni fructu quem vel jam pepererat, vel deinceps paritura erat, Ermelinam nomine, uxorem Odonis de Rupiculis. Cujus rei donum prius posuerunt in manu domni Gisleberti prioris claustrorum, et deinde obtulerunt ipsum super altare dominicum, anno dedicationis ipsius ab Urbano papa facte, in crastino translationis estivalis Beati Benedicti. Cujus rei testes sunt, hi ex parte ipsorum: Alexander de Rupibus; Ingelbertus Felion; Sulpitius puer; Savaricus miles comitis Fulconis; Hugo Pectrina. Ex parte nostra: Landricus cocus et Rainaldus frater ejus; Bernardus salnerius; Johannes hospitalis; Vaslinus Rufellus; Othgerius mariscalis; Haimericus de infirmaria.